

Q.K. 376,5.

X 1903784



*De variis regni Britannici
mutationibus*

**OPT. CIVIT. SNEEBERG.
COLLEGIIS.**

**' SACRA. ET. CIVILI.
DIGNIT. AMPLISS. SPECTATISS.
LITER. PATR. ET. CVRAT.
MAX. VENER;**

S. P. D.

**VRB. GODOFR. SIBERVS
M. A. ORD. PHIL. WITEB.
ADI. S. S. R.**



XXII
23





Uit aliquando ista Britannorum calamitas, ut exterarum gentium jugo subditi, libertatem amitterent, dejective a suarum rerum arbitrio, dominis servorum more subacerent. Quod quidem malum, suane sibi culpa acciverint, an occulta quadam fati, haudquaquam declinanda vi, eo fuerint redacti, vix affirmarem, nisi BUNDUICA Britanna, virilis animi roborisque foemina, liberato a suspicione fato, gentem ista culpa premi declarasset. * Ut ut sit, mutatis tamen hujus calamitatis vicibus ea quoque Britannorum fortuna felicitasque fuit, ut posita excussa que, durissima parendi lege, iniquos removerent dominos, ipsique sibi vitae fortunarumque arbitrium, manu forti, caesis, et ad internecionem deletis hostibus vindicarent. Sed variatum tamen est, ita ut vix ullo tempore ad firmam certamque conditionem ista vicissitudo revocaretur, ne eo quidem tempore, cum sanctiores multo leges & instituta quam Romanorum, a diviniore legatis accepissent; ** sed titubans adhuc, fluctuansque, & quasi prolapsura sic pependit, ut nec stantem omnino felicitatem, nec cadentem, prolapsumque

*. Id oratione illa fecit, quam Dio Cassius spectatae fidei scriptor L. LXII. attulit: ΗΜΕΙΣ ΔΕ ΔΗ ΠΑΝΤΩΝ ΤΩΝ ΚΑΚΩΤΕΡΩΝ ΑΙΤΙΟΙ ΓΕΓΟΝΑΜΕΝ. ΟΙΤΙΝΕΣ ΑΥΤΟΙΣ ΕΠΙΒΗΝΑΙ ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΤΗΣ ΝΗΣΟΥ ΕΠΙΤΡΕΨΑΜΕΝ, ΚΑΙ Ε' ΠΑΡΕΧΡΗΜΑ ΑΥΤΑΙΣ ΕΞΗΛΑΣΑΜΕΝ.

** testis idoneus vir doctiss: JACOBVS VSSERIVS Episcopus Armachanus, libro de Antiq. Ecclesiarum Britannicarum, quem, monente RICHARDO PARRO, in vita VSSERII Regis consilio et auctoritate anno 1693, edidit.

que dicere posses. Nunc enim tanta voluntate, tantaque propensione * Pontificum Romanorum iussa susceperunt, sociosque sese, & propemodum servos praestiterunt, ut omnis ferre a vitae libertatis immemores oblitosque, non exterarum modo gentium scriptores, sed cives etiam agnoscant, fateantur. Nunc vero, simul ac ad se redirent, vidisses, quanto studio, quanta cupiditate succensi, eam denuo appetere, quantisque viribus leges Pontificum rescinderent, ita ut ne Athenarum cives sic tyrannos, nec Romani Regum suorum imperia tantum conculcaverint, quantum Britanni, Pontificis decreta suppresserunt. Quare non unius forte HENRICI, Britannorum Regis, aut RUPERTI LYNCOLNIENSIS, SEVALDIQUE EBORACENSIS, Praesulum nomina aeternitati data sunt, sed plura aliorum FOLIETUS, MATTHAEUS PARISIENSIS, PETRUSQUE BLESENSIS rerum scriptores accuratissimi ** segregata ab oblivione

* e immenso exemplorum numero, adducatur saltem istud, quo Pontifici, cultum imaginum sancienti, declinante ad finem Sec: VII. & circa primordia VIII. tradente BALAEO et NAVCLERO, consenserunt: Imperat, (inquit Balaeus) Constantius, legato Bonifacio, ut in Angliam abeat, atque Londini consensu Britvaldi Archiep: Angl: synodum celebret. Quod illi sub poena excommunicationis ceteris deferunt. Convenitur ergo, nec locus datur disputationibus, sed indicatur, cultum imaginum a Pontifice approbatum esse. Denique promulgatur decretum de cultu imaginum.

** Hanc laudem jure Anglicis Scriptoribus damus, quippe quam ne Gallia quidem, doctusque illis

ne, perennaturis monumentis tradiderunt.
Quid vero diceres, si ad Patrum nostrorum,
Maiorumque tempora respiceres? anne o-
mnis animi acies & oculorum in HENRICO
VIII. qui Romanam belluam prospero **
domuit conatu, inque Eduardo orbis miraculo
*** unice haereret? à quo etsi TE, MARIAE as
li-

illius civis MABILLONIVS eis detractam vo-
luit. Sic enim de STVD. MONACH. P. II. p. 11.
cap. VIII. Legimus in Praef. Historiae Matth.
Parisiensis, more apud Anglos recepto in una-
quaque Abbacia Reg. Societ. Bened. Mona-
cho his dotibus instructo curam fuisse datam,
ut omnia notatu digna in commentarios refer-
ret, huiusque, defuncto unoquoque Regum, ta-
bulas omnes traditas esse, ut in unum historiae
posteritati profuturae corpus redigerentur.
Qvo etiam factum ut historia ab Anglis scri-
pta, prae caeteris omnibus probata abundans
que rerum certissimarum habeatur. Eumque mo-
rem apud Chineses obtinere, testatur Hiero-
nymus LECAMVS in Iudicio de Isaaci Vos-
sij Responso ad RICHARDI SIMONIS ob-
jectionem.

** Idipse PIVS V. PONTIFEX MAX, fatetur in
Bulla, qua REGINA ELISABETHA
folio abdicatur A. C. 1659. V. Kal; Mar-
tii edita, ubi de Primam Pontificiam, quam
tamen Fidem Catholicam appellat ab HOC
DESERTORE EVERSAM tradit. Reperias
vero eandem in COLLECTIONE DOCV-
MENTORVM, aut ographorum, & ex Archivis
desumptorum quibus GILB. BURNETVS in
adornanda altera PARTE HIST. REF. ECCL.
ANGL. usus est, quamque FRANCISCVS
DASSIERIVS latine reddidit.

*** Ita Honorius Reggi in Praef. Libri de Eccl. Bri-

licujus molimina deducerent; totus tamen ad
ELISABETAM, **** foeminam orbietcoe-
litibus mirandam hinc concederes, veramque
illam et sinceram libertatem huic genti reddi-
tam a foemina, merito exultares. Quae secu-
ritas, etsi denuo in periculum gravissimum de-
ducta labascens visa sit, Magni tamen Gvilelmi
Regis manu, consilioque, quod mireris, su-
stentata, certoque collocata loco, aeternam
sibi in hac gente sedem figere parat. Ne-
que enim istud modo invictus ille nec mortali
manu superandus agit, ut felices illas insulas,
a publica invadentium vi ac fraude salvas &
immunes praestet, sed adversus latentem et-
iam roboret ac firmet, dum vericulus & divi-
nitatis hostes acerrimos, infelices, inquam,
Fau-

rannicae Hodierno Statu: successit Henrico al-
ter ille seculi sui Josias, Edoardus, Orbis mira-
culum, qui etiamnum puer majora opera
quam nullus longaeavorum Principum patravit,
sed hunc fata ostendere tantum & mox im-
menso Ecclesiarum luctu sustulerunt. Tum foe-
da iterum tota Britannia barbaries, & Papam il-
la seculi sui Alecto, cruentis piorum caedibus
reduxit. Nec illa diu superstes, sanguine Mar-
tyrum I. C. ebriam animam ad suos demisit.
Inde sub incomparabili Elisabeta iterum
qvies

****. **GREGORIVM LETVM** audias in vita **SIXTI**
V. ubi Maximum Pontificem saepe hujus
foeminae recordatum, eamque laudibus
ad coelum extulisse, nonnunquam etiam his
verbis usum refert: un grande cervello di Pren-
cipessa, & Beata Regina quibus additit omni
Europae tres tantum imperare debere, se,
Henricum, et Elisabetam.

Fausti Socini pessimosque* nepotes sancta au-
toritate, librisque Pontificum ad officia Numi-
ni deferenda vocat, pertinaces vero, legibus
& ** imperio coercent. Quod cum die V. Eid,
Decembr. omnibus sacrorum Praesidibus, sa-
cerdotibusque Londinum convocatis facere de-
cre

* Qvis jure eos ita appellari dubitet? attamen an-
no 1688. in primaria totius Belgii urbe liber
prodiit, de NATURA PAPISMI, qui huic dis-
ciplinæ nimium quantum adulatus, eam præ
Pontificia tolerandam ait: Car les Socini-
ens sont exempt de Tyranne, de Super-
stition, et d' Idololatrie. Et S'ils ont
deserreurs capitales, ils croient avoir
dans leur partie les Prophetes, et les
Apotres, et n' entretiennent leurs
erreurs, que per entetement. Quibus
adversum tenet Joh. Hornbeck, Theologus Ba-
tavus, confutato Socinianismo clarus, 1: VII.
Controv; cap; de Socinianismo; ubi: Initio,
inquit, cum Papismo acerrimum bellum fuit in-
de cum Anabaptistis & Enthusiastis, pridem cum
Remonstrantibus, nunc cum PESSIMIS OMNI-
VM SOCINIANIS decertandum venit, quam-
vis enim Papistæ graviter errent, tenent tamen
adhuc multa Religionis fundamenta, sed quæ
variarum superstitionum *παικοδομῆν* corrup-
punt; Sociniani vero solvunt omnia.

** Credo nonnullos arbitrari, Socinianos, quanunc
conditione vivunt, tant non esse faciendos,
ut ea propter Synodus convocetur. Hinc Gal-
lus quidam apud Batavos degens, isque nec do-
ctrina, nec judicio destitutus, existimavit, eos se-
pe iam ad incitas redactos esse, ut vix quisquam
inter eos restet, qui opiniones avitas, defendere

audes

ereverit, anne aequum fuerit, omnes Euro-
pae partes his conatibus assurgere, Gvilel-
mumque Magnum, & Britanniam plausu,
conceptisque votis incitasse, ut, in quo Prin-
cipi

audeat. Les Sociniens n'ont plus des
gens capables d' écrire, & ils sont tom-
be dans une disette effroyable d' habiles
les auteurs. Quod si ita esset, nec inde tamen
ab illorum oppugnatione cessari velim, quum
major fere eorum vis appareat, si pugnaturi an-
tiquos illos SOCINOS, CRELLIOS, VOLKE-
LIOS in aciem ducant. Sed tantum adest cos
scriptoribus destitui, ut ipse Gallus, qui in tem-
pestive hac de re gloriatus est, & BECIVM, et al-
ios appellet. Aut delebit ille SANDIVM e-
scriptorum Socinianorum numero? qui omnes
trium seculorum post Christum Patres, ARII &
Socini partestenuisse, non tradit modo, sed
contendit? quemue ab opinione sua, una cum
Petavio, olim hoc Socinianis dante, fortiter dejes-
cit GEORGIUS BVLLVS PRESBYTER AN-
GLVS, in Defensione Fidei NICENAE, ubi de
PETAVIO haec notatu dignissima: Je ne scai que
les ont été les vuë du P. PETAV lors qv' il a si li-
brement accordeé aux SOCINIENS, que pres-
que tous les Peres qui ont vecu avant le Concile
de NICEE ont été de l' opinion d' ARIVS, &
que ceux, qui l' ont accusé de produire un nouve-
au dogme, n' ont parle ainsi qu' en declamates-
urs et par une figure de Rhetorique. Je ne scai
point disje, quelles ont été ses vue, mais, je
scaibien, que par cet aveu il a extremement
enflé le courage aux Sociniens. Aussi ont ils
pour lui une estime tres particuliere, & ils font
tres peu de livre, ou il ne soit cite' tres magni-
fiquement,

OX Th
4978

cipes Saxoniae nostrae. Belgiiq; viri. Doctores profecto maximi laborarunt, id divinis tandem freti auxiliis, consilioque et prudentia exequantur? Nos profecto, quos in hoc edito monte fatum aliquod tantisper collocavit, e quo disditorum pariter ac circumiacentium facta speculemur, prosperis auguratisque verbis laetitiam nostram testaturi duobus Interpretibus electis acclamamus, huncque Britanniae conatum orbi universo faustum esse volumus. Habeatis ergo Viri sancte Venerandi & Amplissimi, Tuque, nominatim appellande, huius Urbis Primarie Antistes, PATR. OPT. GODOFR. VOLFIVM, Juvenem literarum, vocis, & morum decore maxime praeditum, tum JOANNEM etiam GVILELMUM JANUM. SAXONEM, Juvenem exquisito ingenio. literis elegantibus, stirpeque honestissima. qua Doctores summos Lyserum illum, Neumanumque, Religionis decus sustinentem, tangit, maxime commendandum, quorum ille die XXII. Decembr. hora III. pomer. summi Praesulis Anglicani loco de Socinianis coercendis rogabit, alter totius Confessus nomine suadebit. Quod si tamen alter ambove non pro hujus rei gravitate dixerint, nos eam iis dari veniam velimus quam & aetas poscit, & conditio ferme flagitat. Nec diffidentes adeo sumus, quin eandem a Patronis literarum singulis ac universis, imprimis tamen a venerando Principio hujus Urbis Antistite, ac Curatoribus Collegi nostri Spectatiss: hac tabula invitatis certo nobis polliceamur.

Dat. Saece. D. XX. DEC. ANNO M. D. C. XCVIII.
e formis Pfuznerianis.

1077

Q.K.376,5.

DIGN

M.



II n
4978

xx II
23

